



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**S. Augustinus, Episcopus in Africa Hipponensis, Veritatis
Evangelico-Catholicæ In Potioribus Fidei Controversiis
Testis Et Confessor, Contra Bellarminum Et Alios
Scriptores Papæos, antiquos pariter & ...**

Reiser, Anton

Francofvrti, 1678

Liber Primus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72506](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72506)



TOMI SECUNDI
 Controversiæ Primæ,
 DE
 CONCILIIIS ET ECCLESIA,
 LIBRI PRIMI
 CAPVT DECIMUM,

DE

Conciliorum generalium necessitate.

Necus tractatione etsi quoad rem ipsam Bellarmino non adeo adferentur Evangelici, utilitatem Conciliorum, si quæ haberi possunt & ritè instituuntur, generalium ultro, nullam verò necessitatem absolutam agnoscentes; quia tamen Sorbonista *Launojus* peculiari non ita pridem & prolixissima ad Jacobum Malatestam, Capellæ Divionensis Regiæ Canonicum, Epistolâ, quæ in tertiâ Epistolarum parte quartum occupat locum, in hac etiam Quæstione Bellarmino se adversarium stitit, utilitatem & necessitatem Conciliorum triginta & sex testimoniiis Romanorum Pontificum demonstrans, inter quæ *Leonis & Gregorii*, utriusque Magni, præ aliis eminent, (quæ tamen omnia & singula an absolutam Conciliorum necessitatem requirant, adeoque Bellarmino rectè opponantur, an verò de hypotheticâ tantum loquantur necessitate, quam Bellarminus etiam urget, studiosus horum Testimoniorum ponderator ex æquo iudicet.) illud saltem inde constat, rem esse inter ipsos Papistas non usque adeo certam & indubiam, sed adhuc ultrò citròq; ventilari, id quod de aliis etiam in hac Materiâ Quæstionibus proximè observabitur. Nunc ea solum breviter notasse non erit nullius operæ pretium, quæ idem *Launojus* circa Bellarmini in hac Quæstione enodandâ methodum duxit expendenda, antequam quid Augustinus de hac re senserit, videamus. Illud autem ante omnia prætereundum non esse putavit, quod Bellarminus in capite nono antecédente diversas sex causas enumerans, ob quas Concilia celebrare sit consultum, silentio prætermiserit observationem Canonis Nicæni, statuentis, *ut singulis Annis per unamquamque Provinciam bis Concilia celebrentur*, quam tamen Constitutionem mutatam in Synodo Tridentinâ, & terminum triennem Conciliis Provincialibus præfixum fuisse, *Launojus* ignorare non potuit, dum *Coriolanus* id ad Canonem numero trigésimum & octavum ex iis, qui dicuntur Apostolorum, idem cum Nicæno statuentem, diligenter notavit, alias quatuor adducens causas, ad Conciliorum Provincialium necessitatem persuadendam, præter eas, quæ Bellarmino visæ fuerunt prægnantes, ut Concilia præprimis generalia censeantur esse utilia & suo quodam modo necessaria, id quod ad innocentiam Bellarmini aliquatenus demonstrandam contra *Launojum* posse inservire, qui in cæteris etiam non usque adeo æquus hic quidem in Adversario videtur, iudicans, Bellarminum pronuntiando, *Concilia*, nimirum generalia, de quibus in specie hoc caput agit, *non simpliciter, sed suo quodam modo esse necessaria*, quævis producta à se Romanorum Pontificum testimonia enervare & à proposito desistere, quâ in re injuriam fieri Bellarmino, si Controversiæ status ritè formetur, & ipsa Pontificum verba accuratius inspiciantur, patebit, ut jam præmonui. Alia quoque sunt, ob quæ rigidius cum Adversario in hac materiâ *Launojus* Sorbonista egisse,

egisse, negari non potest, ut quod Exempli gratiâ primum Ecclesiæ triennium ita describit Bellarminus, quod nulla in eo celebrata fuerint Concilia, quæ communiter vocantur Generalia, & tamen Ecclesia non perierit, argumentum inde non planè nullius momenti ducens, quod eum in modum, quo Ecclesia per illud tempus trium Seculorum, cui non defuerunt multa hæreses & schismata, alia itidem vitia & abusus, sine tamen Conciliis generalibus mansit incolumis neq; opprimi potuit, eodem quoque aliis tribus Seculis, & rursus aliis atque aliis mille permanere sine dubio potuisset; ad quod reponere nihil aliud potuit, quàm Concilia quidem Generalia tum quoque fuisse necessaria, sed ne tunc temporis calamitosissimi fierent, horrendas Christianorum vexationes obstitisse, celebrata autem nihilominus ea inter diversis in locis fuisse Concilia, prout Imperii tum Barbaries tulit, nunc parva, nunc satis magna, quæ generalibus plevisq; possint equiparari. Atqui, si ad Bellarmini innocentiam adhuc porro demonstrandam illud etiam adjicere licet, si Concilia, quæ dicuntur Generalia, ne pereat Ecclesia, absolute sunt necessaria, percundum omnino fuisset ei per illud temporis intervallum, quo Persecutionibus continuis instanter & continuâ serie durantibus nullum Generale Concilium potuit celebrari; tale videlicet Concilium Generale, de quo in hæc Quæstione sermo est, & in quo significatu Nicænum ab omnibus primum est habitum, cui nullum ex iis, quorum ex Eusebio mentionem Launojus facit, ullâ ratione æquiparari potest, si standum est iudicio eorum, qui hæcenus ex observatione circumstantiarum Generalia à particularibus Conciliis segregarunt, de utrisque aliter atque aliter statuentes. Libuit hæc in gratiam Bellarmini, vel potius Veritatis adducere, ut inde etiam adpareat, non semper ad recti normam agere, qui adversarium sibi sumunt omnibus modis oppugnandum, nonq; raro partium studio à laudatæ Veritatis lineâ abripi, quibus nihil non in hoste displicet; id quod Launojo etiam, Viro aliàs iudicii singularis, & qui non semel Bellarmini vitia apertissimè detegit, aliorumque non paucos errores ex debito & seridè examinat, accidisse, notabili hoc Exemplo fecit manifestum, quod ne præter Instituti rationem à me productum videatur, addo, Augustinum à Launojo præteritum, cujus tamen plurima à Bellarmino in hoc Capite facta est mentio, ut Eum à suis stare partibus demonstraret, & quem Launojus eidem eripere non potuit, non sine manifesto Veritatis Augustinianæ præiudicio. Equidem non ita in salvo posita videbatur autoritas Augustini, ut non in disputationem vocari possit. Hinc Bellarminus quoq; non dissimulavit ea Augustini loca, quæ omnimodam Conciliorum generalium necessitatem urgere videntur, non in genere solum scribentis, fuisse quasdam hæreses, ad quas superandas necessarium fuerit Concilium Occidentis & Orientis plenarium, sed in specie etiam de Controversiâ inter Cyprianum & Stephanum, hunc Romanæ, illum Carthaginensis Ecclesiæ Antistitem, quoad rebaptizationem hæreticorum vel ab hæreticis baptizatorum, variis animorum motibus agitatâ monentis, eam, etiam si multa præcessissent Conciliorum particularium & Sedis Apostolicæ definitiones, finiri tamen nunquam potuisse, donec generalis Concilii accesserit Sententia, ad quæ Bellarminus non uno eodemque modo, nec patri successu respondet. Ad prius quidem non malè observat, Augustinum non docere, Concilia, quæ dicuntur generalia, ullo unquam tempore fuisse simpliciter, sed solum modo quodam necessaria; ipsumq; Augustinum, eodem in loco, quo ad aliquas hæreses superandas necessaria scripsit Concilia, inter quas Arianam Bellarminus præcipuè refert, id etiam monuisse, eas fuisse rarissimas, multoq; ac incomparabiliter plures esse vel fuisse, quæ, ubi extiterunt, illic improbari damnariq; meruerunt, atque per cæteras inde terras devitanda potuerunt innotescere, quarum numero Bellarminus ex antecedente Augustini tractatione accenset Pelagianam, eâ occasione tractans Quæstionem, quare magis egerit generali Concilio causa Arianorum, quàm Pelagianorum? quæ, quia ad Institutum præsens non pertinet, non immeritò prætermittitur, hoc solum attento, Bellarminum primas in damnatione hæreseos Pelagianæ partes adscribere Sedi Romanæ, quas adscribere debuisset Conciliis Provincialibus, quorum Ipse cum laude meminit, quammaximè in hoc negotio laborantibus, quorum magnam partem dum supra non semel Augustinum fuisse diximus, scriptis quoque suis Pelagii errores masculè oppugnantem, id quod ipsi etiam Pontifices Romani gratâ agnoverunt mente, Bellarminus hic ingrâtâ præteritione non debuit sepelire. Ad posterius Augustini monitum de hæreticorum anabaptismo Bellarminus non ita aptè respondet, ac in gratiam tam augusti Doctoris respondere debuisset & commode potuisset. Dicit, fortasse non verum esse, quod Augustinus putavit, Quæstionem illam non potuisse ante generalis Concilii Sententiam finiri. Atqui Augustinus in nullo Testimoniorum, quæ Bellarminus citavit, illud expressè scri-

lib. IV. c.
duas Epist.
Pelag. cap.
12.

lib. I. de
Bapt. c.
Donat.
cap. 7. &
18. & lib.
II. cap. 4.

scripsit. Hoc quidem dixit Sanctissimus Pater & ingenuè confessus est, *Questionis hujus obscuritatem prioribus Ecclesiæ temporibus ante Donati schisma magnos viros & magnâ charitate præditos Patres Episcopos ita inter se compulisse, Pace salvâ, disceptare & fluctuare, ut diu Conciliorum in suis quibusq. Regionibus diversa mutaverint statuta, donec plenario totius orbis Concilio, quod saluberrimè, sentiebatur, remotis etiam dubitationibus firmaretur.* Sed nihil hic de impossibilitate augustus Doctor habet, de eo tantum agens, quod factum vel potius non factum est; non quod finiri illa Quæstio non potuerit, sed quod finita non fuerit, testatus. Potuisset fortasè & de jure debuisset Controversia hæc multò citius & minore cum scandalo infirmorum finiri, si res à parte præprimis Romanensium ritè fuisset tractata, & nisi Stephanus Papa præpostero agitato zelo in-tempestivis Excommunicationibus animos eorum, quos per Spiritum lenitatis sanari justum erat, magis semper magisque exacerbasset, tristi hoc schismate Ecclesiam aliàs fatis afflictam miserè lacerans. De cætero, quidquid sit de universalis Concilii circa hanc Quæstionem definitione, cujus respectu Augustinus scripsit, *restat, ut hoc de Baptismo præ credamus, quod Ecclesia universa à sacrilegio Schismatis remota custodit*, illud tamen de suo & ad mentem suam non sine causâ addidit: *In quâ tamen si aliud alii, & aliud alii adhuc (NB.) de istâ Quæstione salvâ Pace sentirent, donec (NB.) universalis Concilio unum aliquid eliquatum sincerumq. placuisset, infirmitatis humane errorem cooperiret charitas unitatis.* Notari hic circa utrumque Augustini testimonium debet, Eum in priori mentionem facere Concilii alicujus plenarii tempore præterito, in posteriori autem futuro demum tempore celebrandi, id quod ex duabus particulis, *adhuc & donec* perspicuum est, quæ diversa utriusque tempora indicant, à Bellarmino tamen planè neglecta, ac si nihil omninò interesset, satis existimans dicere, *Augustinum per Concilium illud plenarium*, cujus etiam aliàs in citatis contra Donatistas libris non semel mentionem facit, quamvis diversi temporis respectu, *Synodum Nicenam intellexisse*, quod tamen apud alios Romanenses non extra dubium esse, infra suo indicabitur loco. Illud nunc insuper adjicio, ipsum quoque Bellarminum, quod de impossibilitate Definitionis circa hæreticorum rebaptizationem à Cypriano acriter defensam minimè per Augustinum adsertâ ex propriis Eius verbis monui, contra seipsum observasse, scribentem: *Etiam si Quæstio hæc finita non fuisset usque ad Concilii plenarii definitionem, ut Augustinus dicit, non tamen inde oporteret colligere, non potuisse finiri.* Quod verò Bellarminus Pontificis Romani Cyprianum cum sequacibus anathemate percutientis rigorem emollire conatur & excusare, oleum perdit & operam, ut supra eo in loco est ostensum, ad quem ipse Bellarminus digitum intendit. Præterea dum capite sequenti probare intendit, *Concilia Episcoporum*, etsi non generalia, quæ communiter Oecumenica dicuntur, aliqua tamen, nimirum particularia, quæ in Nationalia, Provincialia & Diocesana dividit, *omninò & simpliciter esse necessaria*, præter alias rationes ad auctoritatem quoque Patrum provocans, nullo tamen Augustini testimonio nixus, comet ipso fassus est, Augustinum hanc non agnoscere Conciliorum sive generalium sive particularium omnimodam necessitatem, ut ut aliquam præ se ferre aliàs & alibi videatur, nominatim, quando de Ebrietatis malo per illud tempus Africam invadente notanter scripsit, *tantam esse hujus mali pestilentiam, ut sanari profus, quantum sibi videatur, nisi auctoritate Concilii, non possit.* Alibi tamen turfus ea monuit, quæ omnimodæ huic necessitati non immeritò videntur contraria, statuens, *etsi non facile pro uno vel pro paucis adversus innumerabiles ejusdem Religionis & unitatis viros, magno ingenio & uberi doctrinâ præditos, nisi pertractatis pro viribus atque perspectis rebus, ferenda sit sententia; non tamen fieri non posse, id est, non esse omninò impossibile, ut in obscurissimâ (etiam) Quæstione verius unus pauci ve pluribus sentirent*, ad eoque plus quam generalis Concilii Episcoporum Sententia valeant & ex debito prævaleant, quod infra etiam intervire poterit, ubi de Conciliorum auctoritate agetur. Nunc illud adpendicis loco ad hanc Bellarmini de *Conciliorum necessitate*, disputationem observasse non erit nullius planè momenti, Bellarmino non defuisse causas, ob quas non omninò nec absolutè necessaria dixit Concilia, quæ distinctim & in respectu aliorum dicuntur generalia, etsi eas non apertè indicavit, sed pro *ratione Status* Aulæ Romanensis non imprudenter ad eò dissimulavit; sicut è contrario *Launojus* ex causis itidem privatis, nimirum ad Libertates Ecclesiæ, vel potius regni Gallorum defendendas pertinentibus, omnimodam & absolutam Conciliorum non particularium modò, sed generalium quoque necessitatem adstruere contra Bellarminum laboravit. Interest

Epist. 64.
ad Aurel.lib. III. de
Bapt. c.
Donat.
cap. 4.

nimirum Ecclesiæ vel regni Gallorum, ut ad retinendas libertates, quibus ex longissimi temporis præscriptione fruuntur, & frui se in publico gloriantur, non omninò desinat usus Conciliorum verè generalium, & quæ non Papæ solum genio agantur, sed spiritu Episcoporum ex omnibus Ecclesiis particularibus congregatorum libero, adque bonum commune ducto, ne extinctâ hæc Conciliorum libertate Papæ solum extra Concilium quoque desinentis autoritas non sine gravioris jugi impositione obtineat; qui respectus ex parte Romanensium Papicolarum, quorum Bellarminus causam egit, in contrarium planè ducit, ut videlicet prætenfa hæc omnimoda & absoluta Conciliorum generalium necessitas animis fidelium eximatur, ne eâ locum habente dicta Papæ extra Concilium & sine Concilio autoritas periculum aliquod diminutionis incurrat, quod antehæc non semel eam per Conciliorum generalium celebrationem incurrisse, Exemplo non uno docti, vestigia talium fugere omnibus modis student. Ita hi homines diverso Spiritu, neutri bono, ad bonum non Ecclesiæ, sed proprium ducuntur, minimè in hoc Spirituales, nisi Sensu suspecto.

vid. Cel-
lot. de
Hier. lib.
4. cap. 10.
§. ult.

CAPVT DUODECIMVM,

DE

Conciliorum generalium Convocatore.

Tom. 6.
Epist. 1.
pag. 16. &
segg.

In hoc Capite & sequenti, quæ Pontificem Romanum pro Conciliorum generalium Convocatore sistunt, etsi solo paragrapho primo excepto, nulla prorsus Augustini mentio fiat, in rigoroso ramen eorum Examine *Launojus* Sorbonista ad ejus provocatorem, ex Epistolis ejus & Tractatibus diversis ostendens, ante Concilium, quod inter universalia primum numeratur, Nicænum alia duo, Romanum videlicet & Arelatense, in causâ Cæciliani & Donatistarum, ab Imperatore Constantino fuisse congregata, de quibus etiam ad antecessens modò caput *Launojus* sine dubio scripsit, quod *gener alibus plerisque possint equiparari*, Arelatense in primis, de quo infra pluribus agetur, ubi, quid Augustinus per Concilium plenarium voluerit intellectum, ex eodem *Launojo* obtinebitur. Idè id autem ex Augustino monuit *Launojus*, ut eò facilior sit demonstratio ad aliorum quoque, etiam generalium, ut dicuntur, Conciliorum ab Imperatoribus Christianis factam convocationem, quam de primis octo, totidem Epistolis, ad diversos, ut plurimum Parisienses, Theologos, citatâ parte sextâ exhibitâ, contra Bellarminum testimoniis pluribus Scriptorum Ecclesiæ ostendit, examinatis etiam omnibus iis, quæ Bellarminus in contrarium adduxerat, undè iterum mala, si non pessima Eiusdem fides, si modò fides sit dicenda, Luci publicæ exponitur, dum nullius in utroq; capite Scriptoris testimonium à Bellarmino citatur, in quo *Launojus* non invenit, quod jure possit desiderari, adeò rem hanc negligenter, ne quid gravius dicam, Eruditionis Polemicæ condus & promus tractavit, ut non immerito pudore suffundi deberent, qui Bellarminum omnes Controversiarum thesauros exhaustisse contra hæreticos gloriari non verentur. Ego ad hæc, quia Scopo non inserviunt, quæ utroque in capite exhibentur, è magno observationum numero, quas *Launojus* contra Bellarminum prolixissimè collegit, illam modò breviter adnecto, in cujus gratiam hic Sorbonista peculiarem, quæ undecimum in hæc parte Sextâ occupat locum, ad Thomam Rullandum, Parisiensem quoque Theologum, scripsit Epistolam, cujus primam partem integram hic adpono: *Bellarminus* de generalium Conciliorum indictione & convocatione, ne sic disputat, ut quamvis manifestè constet, Tridentinum in primis Concilium à Pontifice Romano indictum & congregatum esse, adfirmari tamen possit, ab Imperatore & Christianis Principibus indictum & congregatum esse. Docet enim, esse reverè *Pontificis, non Imperatoris, congregare Synodum generalem*. Deindè ut argumenta diluat huic Adsertioni contraria, hoc sibi sumit, ut dicat, *nullum esse Concilium generale Catholicum à solo Imperatore indictum*, id est, *sine consensu & autoritate Pontificis Romani*. Tum illud quoque posterat, *satis esse, si Concilii indictionem ab Imperatore factam postea Romanus Antistes ratam habeat atq; confirmet*. Quò ita constituto, in Bellarmini opinione Pontifices Romani censentur Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesium & Chalcedonense Concilium indixisse & coegisse, quia Imperatores hæc quatuor Concilia non sine consensu Romanorum Pontificum indixerunt & coegerunt, & quia Romani Pontifices Nicæni, Constantinopolitani, Ephesini & Chalcedonensis Concilii indictionem ab Imperatoribus factam habuerunt ratam & confirmarunt.

Quis

„Quis modò Bellarminianam disputandi methodum secutus non diceret, Tridentinum
 „Concilium ab Imperatore & Principibus Christianis indictum & convocatum esse, quia
 „Romanus Pontifex hoc Concilium absque Imperatoris & Principum Christianorum
 „consensu nec indixit, nec convocavit, & quia Imperator & Principes Christiani indicti-
 „onem Concilii Tridentini à Romano Pontifice factam habuerunt ratam & confirmâ-
 „runt? Prospicio quidem, illum, qui hoc diceret, etiamsi verum diceret, Eruditorum &
 „cordatorum hominum ludibrio expositum iri; sed ludibrii causa in Bellarminum non
 „potest non transferri. Bellarminus ergò ridebitur, quod ea sibi sumat Lemmata, qui-
 „bus, quod contendit ædificare, funditus evertitur. Si solus rideretur Bellarminus,
 „ferri quidem hoc utique posset; sed in Bellarmino plerique omnes Catholici (Ro-
 „mano-Papæ) Scriptores ridentur ab hæreticis, quippe qui Veritatem suis non quærant
 „legibus, & in tractando communes parent locos, qui omni materiæ, ac proindè nulli
 „convenient. Profecto, longè satius esset, dicere id, quod res est, nempe, Concilia, quæ
 „authoritate Principum indicta sunt & coacta, authoritate Principum indicta esse &
 „coacta, quàm tali modo, qui ridiculos efficiat Scriptores, disputare, quàm universales
 „ponere Adsertiones, quæ verâ uniuscujusque Concilii disciplinâ & traditione certâ
 „comprobari nequeunt. Hæc Ille & plura adhuc non prolixius exscribenda, qui dum
 „prima quatuor Concilia, quæ dicuntur generalia, expressè ab Imperatoribus indicta &
 „convocata scribit, idque, ut jam dixi, plurium Scriptorum testimoniis probat, idem scri-
 „bit & probat, quod & Bellarminus scribere & probare vi Veritatis fuit coactus: *Habe-
 „mus, prima hæc Concilia ab Imperatoribus indicta fuisse, sed ex Pontificum Sententiâ & con-
 „sensu. Addit: Cur autem non Pontifex solus indicarit, ut postea factum est, ratio non erat,
 „quia Concilium sine Imperatoris authoritate coactum non esset futurum apud Christianos ra-
 „tum, sed propter multas alias justissimas causas, quarum ultima hic recenseri meretur,
 „quia eo tempore Pontifex, etsi in spiritualibus esset caput omnium, etiam Imperatorum, in tem-
 „poralibus tamen subiciebat se Imperatoribus; & idè non poterat invito Imperatore aliquid
 „agere, & cum tantum debuisset petere auxilium ab Imperatore ad convocandam Synodum, vel
 „ut permitteret Synodum convocari, tamen quia Eum Dominum suum temporalem agnoscebat,
 „ut juberet Synodum convocari, supplicabat.* Ultima hæc Verba dum Monarchicis De-
 „fensoribus Romæ non potuerunt placere, idè Bellarminus, sine dubio monitus ab iis,
 „in recognitione librorum ea hunc in modum emollire studuit: *Quod dicimus, Pontifi-
 „cem Imperatoribus olim fuisse subiectum, ut Dominis suis temporalibus, intelligimus de factò,
 „non de jure. Cum enim potestas spiritualis superior sit temporali, nulla patitur ratio, ut Prin-
 „ceps supremus spiritualis jure subiciatur Principi temporali, quamvis supremo; sed autho-
 „ritas Summi Pontificis parlatim magis atque magis declarata est.* Hæc emollitio quan-
 „tum valeat, ex Augustino infra bono cum DEO demonstrabitur. Ea inter nunc saltem
 „pro confirmatione eorum, quæ de primorum quatuor generalium Conciliorum convoca-
 „tione per Imperatores facta Bellarminus & *Launojus*, scripserunt, addo testimonium
 „*Gelasii* Papæ, quod *Ivonis* Decreto & *Gratiani* Concordiæ legimus insertum, cujus pars
 „prima hæc est: *Sancta Romana Ecclesia post Veteris & N. T. Scripturas, quas regulariter susci-
 „pimus, etiam has suscipi non prohibet: Sanctam Synodum Nicanam, trecentorum & octode-
 „cim Patrum, mediante Constantino Maximo Augusto, in qua Arius Hæreticus condemnatus
 „est; Sanctam Synodum Constantinopolitanam, mediante Theodosio Seniore Augusto, in qua
 „Macedonius hæreticus debitam accepit damnationem; Sanctam Synodum Ephesinam, in qua
 „Nestorius damnatus est, consensu Beatissimi Papæ Celestini, mediante Cyrillo, Alexandrina
 „Sedis Antistite, & Arcadio, Episcopo ab Italiâ destinato; Sanctam Synodum Chalcedonensem,
 „mediante Martino Augusto & Anatolio Constantinopolitano Episcopo, in qua Nestoriana &
 „Eurychiana hæresis simul cum Dioscoro Ejusque complicibus damnatae sunt.* Quid in gene-
 „re de hæc *Gelasii* Notitiâ observandum sit, post alios monuit laudatus supra *Petrus de*
 „*Marcâ*, Archi-Episcopus Parisiensis, in de *Concordiâ Sacerdotii & Imperii* opere.
 „Nunc id tantum moneo, quod *Gelasius* dicit, mediantibus his vel illis Imperatoribus
 „celebrata esse hæc Concilia, aliter intelligi non posse vel debere, quam Eorum autho-
 „ritate convocata esse. Cur autem circa Synodi Ephesinæ mentionem hoc idem de
 „mediatione Imperatoris Theodosii Junioris monere omiserit, non ita apertè constat.
 „Sufficit tamen, Eum non *Celestino* Papæ, sed *Cyrillo Alexandrino* hanc adscripsisse
 „mediationem, solo consensu Pontifici relicto, quod contra Bellarminum observasse
 „fatis est; contra quem insuper *Launojus* Sorbonista, in peculiari de hæc Synodo ad
 „*Guilielmum Voellium*, Parisiensem Theologum, Epistolâ, notavit, decretum & in-
 „dictum

conf. Cu-
 fan, de
 Concord.
 Cathol.
 lib. III.
 cap. 16.

lib. III.
 cap. 2.
 num. 7.

Tom. 6.
pag. 123.
* 124.

dictum esse prius à Theodosio Imperatore hoc Concilium, quàm Cœlestinus Papa decretum & indictum esse cognosceret; Imò ex Synodi Historiâ & Actis constare, inchoatam esse Synodum, & secundam Actionem celebratam, cum Sedis Romanæ Legati advenerint.

His ex *Launojo* breviter excerptis prodiit interea Historia *Norisi* Pelagiana, quæ cum Adpendicibus suis, Dissertatione nimirum de *Synodo Quinta*; & Vindiciis præsertim *Augustinianis* fudes fuit in oculis eorum, qui pro Romanensis Ecclesiæ Palladio, id est, summâ Pontificis autoritate militant non aliter, tanquam pro focus & aris, jejunituri videlicet & Igne sacro carituri, si Veritatis Evangelicæ judicio subjiciatur. Hinc *Fulgentius* in primis *Risbrochius*, qui se Canonicis Lateranenibus adnumerat, id præter alia tulit ægerrimè, quod in hoc opere legit scriptum, *Imperatoris quondam fuisse, oborto schismate Episcopos vocare ad Synodos*, in lemmate hoc Dogma vocans *Lutheranismum*, in ipsâ autem tractatione *fulmen*, quo tangatur non modò, sed etiam frangatur *Arx Authoritatis Apostolicæ*, addens, *Imperatori non licere, nec licuisse unquam Episcopos convocare ad Concilium quocunque prætextu, quoniam hoc spectet ad Ecclesiam*. Plura subjungit è *Glosâ Juris Canonici & Concilio Lateranensi quinto*, quæ, quia ad præsens Institutum non pertinent, nunc quidem prætermitto. Hoc autem silentio involvere hæc occasione non possum, quod *Anti-Norisius* hic de Jure sollicitus tantummodò, ipsum, cuius occasione adducta scripsit verba *Norisius*, factum ne digito quidem attigit, etiam ubi in ejus recensione tetigit *Annalists Baronii* lapsum, quem aliàs castigari ferre solet nimis impatienter. Ita res habet: Meminit Historiæ hujus Pelagianæ Scriptor schismatis Romani post mortem Papæ *Zosimi* inter *Eulalium & Bonifacium Antipapas*, non procul ab initio Seculi post *Christum* quinti, regnante *Honorio* Imperatore exorti, de quo commemorat, *quod cognitis hisce dissidiis, ne factionum principes tumultum auferent præsentia, Symmacho urbis Præfecto mandaverit, ut utrumq; Pontificem nuper electum Romæ dimitteret, omnia tentans interim, quò componeret dissidentes; verùm cum gravioris id negotium cerneret difficultatis, Synodum statuerit plenariam cogere apud Spoletum, ac Patres Africanos ad eandem per literas evocaverit, quas dicit Baronium è Codice Vaticano publicasse, de quo ulterius monet, Eum præter has *Sacras Divales*, sub ejusdem Imperatoris nomine *privatas* ad *Aurelium Primatem & Augustinum*, ac alios sex Episcopos, ex eodem Codice, ejusdem exempli recitare, ac putare, quia in eis fiat mentio *Domini Germani Augusti Principis*, Honorium intellexisse *Constantium*, cui ob gestas res præclaras adversus tyrannos Sororem suam *Gallam Placidiam* dederit uxorem. In hoc autem dum *Annalists* putat lapsum *Norisius*, adscribentem has posteriores literas, quas respectu priorum vocat *privatas*, ipsi *Honorio*, cum tamen citra dubium adscribendæ sint *Placidie* Imperatoris sorori, utpotè quæ expressè *Germanum suum Augustum Principem* adpellârît, adjungit pro observatione universali, cuius, id est, *Imperatoris tantummodò, oborto schismate Episcopos vocare ad Synodos*, non verò *Constantii*, privati adhuc viri, Comitibus nimirum ac *Patricii*, quem *Baronius* in literis *Augustum Principem* vocari existimavit. His scilicet verbis *Norisius* ex Sententia *Risbrochii*, quantus quantus est, factus est *Lutheranus*, emittens fulmen non brutum, sed tangens & omninò frangens *Arceam Authoritatis Apostolicæ*. Concurrite cives Romani, vos in primis Canonici Lateranenses, ac omnes, quibus custodia *Capitolii* est concredita, ne sitis muti canes, sed tanquam anseres striduli edite strepitum ingentem, ut orbis audiat Catholicus, ne *Arx* illa prodatur, in cuius conservatione cuncti *Apostolicæ* scilicet *authoritatis thesauri* versantur unice atque in solidum. Atqui, si *Norisius* in adlegando Jure Imperatorio circa convocationem Synodorum peccavit, si hæresin *Lutheranam* hoc ejus Dogma sapit; cur factum, quod ex *Baronio*, sed correcto narravit, & cuius respectu hanc Propositionem exhibuit, non subjecit examini rigoroso *Antidogmatistes*, accusans Honorium, quod falcem Imperatoriam præter debitum immiserit in Ecclesiasticam Messem, producens contradictiones Episcoporum *Aurelii Primatis, Augustini & aliorum*, consultis post *Baronium* Codicibus Vaticanis, an fortè Protestationes ullæ possent inveniri, quibus Imperatori Allotrio Episcopia fuerit objecta. Sed tutius visum fuit abstinere ab hoc, & manum tollere de tabulâ, undè non nisi cum periculo posset retrahi, ei è contrario inferre, qui aliàs etiam esset de collusionione cum hæreticis suspectus, & in quem alii quoque jam fecissent impetum. An deserturus sit causam, quam semel suscepit defendendam, quod Antagonistæ jaçant superciliosè, tempus docebit. Ego inter id non possum, quin cæteris testibus Veritatis, quos alii in hujus argumenti tractatione adduxerunt, nunc loco*

supple.

supplementi addam, quæ ante tria hæc Secula, & quod excedit, *Marsilius Patavinus*, in Defensorio Pacis, ad Imperatorem *Ludovicum*, cognomine *Bavarum*, de hoc Jure Imperatorio scriptis, ostendens, ad solius humani Legislatoris fidelis Superiore carens auctoritatem pertinere, aut ejus vel eorum, cui vel quibus per jam dictum Legislatorem potestas hæc fuerit commissa, generale Concilium convocare, personas ad hoc idoneas determinare, ipsumque congregari, celebrari & secundum formam debitam facere consummari, rebelles quoque ad conveniendum, & iam dicta necessaria & utilia faciendum, determinantum quoque, ac ordinatorum in dicto Concilio transgressores, tam Sacerdotes, quam non Sacerdotes, Clericos, aut non Clericos, licite secundum Divinam & humanam legem per coactivam arcere potentiam. Hæc ille, quæ ibi sufficientibus ex Ecclesiastica Historia confirmat documentis.

CAPVT DECIMUM QVINTVM & SEXTVM,

DE

Convocandis ad Concilium.

Sæpius quidem in utroque hoc Capite occurrit mentio Augustini, nunquam ita tamen, ut Bellarminus inde singulare aliquod habeat commodum, eo ut plurimum à Statu Quæstionis abludens, ut Augustinum planè non nominasse fuisset satius. Antè autem quàm illud ostendatur, placet bonâ cum Lectoris veniâ Controversiæ illius meminisse, quæ ante hoc Seculum in Synodo Tridentinâ Patres ibi conscriptos circa Ejus titulum & Inscriptionem per aliquod tempus occupavit, Gallorum inprimis Sententiâ eò inclinante, ut dicatur *Synodus Ecclesiam universalem representans*, Italis autem omnimodò contranitentibus, & contendentibus, *illam nec in Sacris Canonibus, nec in veteribus Conciliis haberi formulam*, ut in describendâ hæc Controversiâ Paulum Svavim, & Sforziam Pallavicinum, multum alias inter se distantes, convenire observavit in laudatâ paulò ante ad Thomam Rullandum Epistolâ *Launojus*, id insuper addens, *quia inter se conveniunt, rem ita evenisse credendum*, hæc cum ulteriori notatione, *Legatos contra hanc formulam protestantes non ignorasse*, Concilia quatuor, Pisânâ, Constantiense, Basileense & Laulannense, & tres Romanos Pontifices, Martinum quintum in Diplomate, quo recipiendorum in Ecclesiam hæreticorum modus præscribitur; Eugenium quartum in Epistolâ ad Fridericum Principem Romanorum; Leonem decimum in Lateranensis Concilii Sessione post decimam primâ, *illam usu suo consecrassè formulam*. Libuit hujus idèò in antecessum facere mentionem, quia quam-maximè ad præsentem pertinet Bellarmini tractationem, Episcopos præprimis ad Concilii generalis congregationem admittentis, quasi ad Ecclesiam cæteri non pertineant, id quod hic ante omnia est observandum, ut progressus eò sit facilior. Hinc quæcunque Bellarminus ex Augustino partim ad Sententiæ suæ declarationem, partim ad contrariæ refutationem adducit, ita sunt comparata, ut scopum Quæstionis non attingant, multò minus rem ipsam conficiant, Lectore per auctoritatis Augustinianæ objectionem inaniter deluso. Nam quod post & præter Hieronymum Augustinus, occasione oraculi Apostolico Paulini, quo Christus post gloriosam ad Cælos Adscensionem Ecclesiæ & Pastores & Doctores dedisse legitur, notat, *conjunctum esse nomen Pastoris cum nomine Doctoris, quia proprium sit Pastorum (id est, Episcoporum) docere*, quod nemo hæctenus Evangelicorum vocavit in dubium; nihil omninò ad rem facit. Non enim controvertitur inter nos, an alius in Ecclesiâ sit ordo Pastorum, alius auditorum; item, an Episcoporum, qui ab Apostolo Pastores dicuntur, munus sit docere, quod tamen an Papistis certum sit, non immeritò vocatur in dubium; sed in eo versatur Quæstionis cardo, an in Conciliis soli admittendi sint Episcopi, quo sensu hodie apud Papistas dicuntur, exclusis à Sententiâ dicendâ cæteris omnibus, qui non sunt Episcopi, etsi de cætero à Pastoralis munere non adeò procul sint remoti? Quamvis enim Bellarminus Sententiâ, quam dicit Catholicorum, ita videatur proponere, ut locum quoque in Conciliis concedat *Cardinalibus, Abbatibus, ordinum Generalibus, licet Episcopi non sint*; ex Presbyterorum ordine etiam, ut & aliis minoribus Clericis *viros aliquos doctos* admittat, quin & *Principes politicos, veletiam ex Laicorum numero*; non tamen aliâ ratione id permittit, quàm ut illi quidem in disputando juvent, isti verò Concilium defendant & transgressores pænis corporalibus puniant, hi tandem utiles sint vel necessarii ad aliquod ministerium, ac omne id fiat ex Privilegio & consuetudine tantum, reservato Episcopis solis Suffragii decisivi jure ordinario, quod an Paulus, adque Ejus oraculum Augustinus, descriptione Officii Pastoralis seu Episcopalis voluerint significare, nescio, an ita facile sit demonstratu, ac primâ videtur facie,

P. II, c. 21

Tom. eod.
pag. 256.
& 257.
conf. Scip.
Henr.
Cens. Sect.
III, art. 4.
p. m. 157.Epist. 59.
ad Paulin.

facie, Bellarmino rem hanc quasi extra omnem ponente controversiam, quæ tamen prolixâ opus habuisset probatione. Neque eum juvat quidquam, quod porrò in sequentibus ex Augustino & aliis Ecclesiæ Doctoribus adfert, qui *Concilia* dixerunt esse *Episcoporum*, cum ex Rhetoricis locutionem Synecdochicam debuisset intelligere, juxta quam positâ parte unâ non excluditur altera, nosque Evangelici ultrò largiamur, à potiori denominationem fieri, minoris tamen respectu non planè seposito, sed simul subintellecto; id quod statuendum quoque est de aliâ ejusdem augusti Doctoris Sententiâ, quâ juxta Bellarmini mentem dixit vel scripsit, *Concilio Episcoporum consensum esse totius Ecclesiæ consensum*; quamvis si Augustini verba ritè attendantur, alium planè sensum nobis objiciant, nimirum, *Concilio illius plenarii*, de quo intra pluribus, *Sententiam fuisse totius Ecclesiæ consensu* (vel consensione) *firmatam*, quando videlicet facta in eodem contra hæreticorum anabaptismum decisio totius Ecclesiæ consensu probata fuit, & mediantibus Episcopis tanquam ordinariis Pastoribus acceptata, quod tam nihil juvat Bellarmini causam, quàm si Tridentinæ Synodi sententiam totius Ecclesiæ, quæ Pontificem Romanum pro Episcoporum maximo habet, consensu dicat firmatam, exceptâ tamen Galliâ, quæ etsi in Doctrinâ Fidei decretis in eâ factis non contrariatur, ob alia tamen ibidem statuta, quæ libertatibus Ecclesiæ Gallorum videntur contraria, Promulgatio utriusque sæpius & frequentissimè tentata hætenus impetrari non potuit, præter Grammondum, Thuani Continuatores, *Petro de Marcâ* in de Concordiâ Sacerdotii & Imperii, cum non unis observationibus id referente, ab aliis etiam non semel nec uno in loco notatum. *Superest* objectio aliqua ex Augustino, quam Bellarminus refutandam sumsit; videlicet ex numero Exemplorum, quæ docent, *coram populo tanquam iudice causas Fidei disputatas fuisse*, illud etiam observari dignum est colloquium, quod Augustinus coram auditoribus suis cum Maximino Arianotum Episcopo habuit, non alium certè in finem, quam ut expensâ utriusque Sententiâ ad normam S. Scripturæ judicarent, uter eorum in viâ Veritatis orthodoxæ incederet, ac penes quem victoria staret. Distinctione huic Exemplo satis conatur facere Bellarminus, dum aliud esse dicit *iudicium publicum*, aliud verò *privatum*; hoc tantum, non illud populo esse adscribendum. At ablutit iterum Bellarminus à Controversiæ statu, cum hic non agatur de potestate judicandi, quam neque Episcopis in Concilio congregatis absolute concedimus, sed de interessendi jure, an nimirum ordini Laicorum, sive jam Superiores sint, sive inferiores, omnis in Concilio locus denegari debeat, iisque ad ea solum amplectenda sint obligati, quæ ab Episcopis hanc autoritatem sibi met attribuentibus Synodaliter decernuntur & præscribuntur. De cætero sicut Laici, quatenus Laici, iudicium, quod Bellarminus ad differentiam publici dicit privatum, in publico neminem obligat; ita si id ad normam S. Scripturæ formetur, quæ Spiritus probare docet, cur non quemvis in conscientia, atque adeò publicè etiam obligare possit dici, planè non video. Locum hic habere debet *Ambrosii* illud, ad quod Bellarmino, quod respondeat, in promptu non fuit: *Isle populus iudicet, cujus in corde lex Divina est, non humana; Lex non atramento scripta, sed Spiritu DEI vivit*. Et hanc Augustini etiam fuisse Sententiam, dubitare non licet iis, qui Augustinum quævis *Ambrosii* dicta vel scripta in summo habuisse pretio non nesciunt.

CAPVT DECIMUM NONVM & VIGESIMVM,

DE

Generalis Concilii Præsides.

Hunc dum non nisi Pontificem Romanum esse vult Bellarminus, omnia iterum momenta suo comportat, quæcunque aliquâ saltem ex parte & in speciem id videntur insinuare, Augustino tamen nullibi ad testimonium vocato, nisi quod in objectionum Refutatione, quæ ex augustissimo hoc Patre in contrarium adferuntur, amoliri à se omnibus modis conatur. Duo autem sunt præprimis, undè constat, hunc Sanctum Doctorem Pontificis Romani autoritatem quoad jactatum in Conciliis præsidium non agnovisse. Et prius quidem exhibet Augustinum historicè referentem, quid in causâ Cæcilianiani, Carthagenensium Episcopi, ex unâ, ex alterâ verò parte Donatistarum ab Imperatore Constantino sit factum, eis primùm dante Episcopum Romanum eum aliis quibusdam Episcopis, postmodum ab hujus Concilii Sententiâ adpellantibus alios in Gal-

Epist. 119.
ad Januar.lib. 1. de
Bapt.
cap. 18.lib. II, cap.
17, num.
6. & 7.
conf.
Limn.
Notit.
Franc. lib.
III, cap. 8.Orat. in
Athenis.
lib. V.
Epist. 32.

liâ Episcopos, & cum neque hi satis omni ex parte facerent, sibi met ipsi ultimum ad eorum petitiones reservante iudicium, quod omnino fieri neque debebat, neque poterat, si id Jus Pontifex Romanus ad se solum pertinere, vel ipse Constantinus Princeps omnium Christianissimus sibi minus id competere existimasset, nihil aliâs agens, quod officii sui limites transgredi iudicavit. Bellarminus dum ad hoc factum respondere debuit, quia ritè non potuit, calumniatus est, scribens, *hereticos argumentari ex gestis hæreticorum. Nam quod male fecerint recurrendo ad Imperatorem tanquam Iudicem, & quod pejus fecerint rursus ad Eum adpellando, Augustinum agnoscere, Donatistas merito reprehendentem, quod Cæcilianum apud Imperatorem accusaverint, cum potius apud Episcopos transmarinos Eum convincere debuissent, & laudantem è contrario Imperatorem, quod ordinatus egerit, Donatistas ad se venientes remittendo ad iudicium Melchiadis, Romani Pontificis, & quod egre tulerit ad se adpellari, iudicans, coactum se post Episcopos, ut vel sic frangeret furorem Donatistarum, insuper etiam, quod intellexerit, se iudicare non posse suo iure, sed eâ tantum spe, quod Episcopi postea veniam illi darent, à quibus eam petiturus erat.* Atqui, non ex gestis hæreticorum, sed partim ipsius Constantini Imperatoris, partim ipsius Episcopi & Pontificis Romani, aliorumque Episcoporum ad id delectorum argumentantur Evangelici. Non ex gestis hæreticorum, dico, ut non omnia hæresin sapiant, quæcunque ab hæreticis vel dicuntur vel aguntur, ut aliundè manifestum est; sed partim ex actis ipsius Constantini, quem Christianissimum modò dixi Imperatorem, non facillè quidquam extra & præter Muneris sui rationes agentem. Nota est in vulgus illa vox celebris, quâ Episcopos intra, se Episcopum extra Ecclesiam Divinitus constitutum dixit, quamvis ab hoc argumento abstinendum esse iis censuit Petrus de Marcâ, qui eo ad adferendam Principibus tuendæ Ecclesiæ auctoritatem uti solent, motus Græci apud Eusebium Textus verbis, non ad res, sed Personas respicientibus, ita ut significetur, Episcopos Eorum gerere curam, qui Ecclesiæ adscripti fidem Christianam profiterentur, se verò gentilium, qui essent extra Ecclesiam, saluti consulere, Sacrificiis paganorum vetitis, Dominicæ diei cultu ipsi etiam gentilibus præcepto &c. quæ tamen an ad Constantini mentem dici possint verè, multum omnino dubitatur. Quidquid autem de eo sit, quod Eruditis amplius discutiendum proponitur, id certum est, quod idem Petrus de Marcâ ibidem Eusebii auctoritate refert, hunc ipsum Constantinum Synodis Episcoporum à se (NB.) indictis interfuisse, atque Rerum in deliberationem vocatarum se participem fuisse, communemque procurasse concordiam, tanquam communem Episcopum à Deo constitutum. Ad laudem Constantini Imperatoris hæc pertinere nemo non videt, qui Jure etiam naturali id urgente suum cuique didicist tribuere; quam laudem nullo planè modo minuit, sed potius & insigniter quidem auget, quod Augustinus locis per Bellarminum citatis, & de quibus supra etiam fuit actum, in causâ Cæciliani & Donatistarum ab Eo non sine multo labore actum per partes memorat, quo facillè occupatissimus circa res Imperii ordinandas superfedere potuisset, nisi conscientia urgente suam quoque circa res Ecclesiæ ex debito componendas operam summè duxisset necessariam, à nemine unquam ob id tanquam falcem in alienam messem mittens severiori Censuræ objectus, nisi Bellarminum malè iudicandum sit scripisse, Constantinum fuisse quidem magnum Imperatorem, sed non magnum Ecclesiæ Doctorem, quod supra etiam ex debito animadvertum fuit. Sed & addidi, partim ex actis ipsius Episcopi & Pontificis Romani aliorumque Episcoporum in Italiâ & Galliâ ad id à Constantino deputatorum argumentantur Evangelici, cum de nullo eorum Augustinus quidquam narret, undè Suspicio potuerit nasci, ægrius illos tulisse id, quod Constantinus in negotio hoc tantâ cum sollicitudine egit, aliosque etiam ex Ratione officii agere voluit. Pontifex certè Romanus, cujus hodiè Successores omnia motu proprio agere videri volunt, moneri se à Constantino, imò provocari à se ad aliud Concilium, quin ipsum quoque Imperatorem, passus non fuisset, si eâ se Divinitus auctoritate in rebus controversis pollere existimasset, quam dicti Successores hodiè sibi à non planè nullis adulatoribus adscribi sustinent, & pro quâ tanquam, non ut pro Aris, sed ut plurimum focus acerrimè dimicant, ac quovis modo contra ire aut dicere conantes dirissimis subjiciunt anathematibus, fulminibus tamen, quod Experientia plurium testatur Seculorum, apud multos brutis, qualia etiam quotannis Bulla Cœnæ non Dominicæ in vanum jacere solet & ceu bullas in aerem emittere. De cætero, quod Donatistarum procedendi modum contra Coecilianum ab Augustino descriptum attinet, adeò eum non adprobant Evangelici, ut potius Augustini exemplo quam

Lib. cit.
c. 10. n. 7.

NB.

Lib. 4. de
V. D. c. 11.

quam-maximè improbent, multumque mirentur Constantini patientiam, in tantâ perversissimorum & sapissimè damnatorum hominum perveracia tam prolixè conniventis, nihilque omninò intermittentis, quod ad sanandos eorum animos potuit ullâ ratione desiderari, quamvis omnia irritò conatu fuerint tentata, Donatistis nihilo-minus Veritati cedere constanter, vel potius pertinaciter recusantibus. Ægrè quidem tulit Imperator, ad se à Concilio Episcopali utroque, Italico & Gallicano, fieri adpellationem; sed non ideò, quasi ipsa adpellatio fuisset illicita & impertinens, verum, quia Donatistas utrobique ad petiturum auditos & legitime convictos nondum adquiescere vidit, sed eos magis semper magisque varias cedere turbas, Orbemque Christianum vix à persecutionibus gentilium aliquantisper Respirantem novis concutere motibus. Veniam quoque ab Episcopis rogavit Imperator, ab Episcopis inquam, non solum Episcopo & Pontifice Romano, quod omninò fieri debuisset, si is solus tantam, quantam hodiè, tum obtinisset auctoritatem; veniam rogavit, inquam, non quasi aliquid officio indignum suscepisset, sed ne videretur eorum Sententiam, tanquam minus sufficientem, quam ex Actis legitimam agnovit, vel retractare vel emendare, ad cuius confirmationem passus est ad se etiam adpellari, ne ullâ in re sibi quidquam fuisse denegatum Donatistæ conqueri possent. Quæ omnia & singulâ ritè ponderata facillè revellunt ea, quæ Bellarminus ad laudatam objectionem respondere conatus est, ut Evangelicis per calumniam detestandæ hæreseos notam inureret. *Sequitur* nunc alterum & posterius documentum, ex quo potest constare, Augustinum suo tempore hanc Pontificis Romani auctoritatem non agnovisse, quam Bellarminus eum aliis Scripioribus Papæ eidem adscribit. Desumitur illud è *Breviculo* Collationum, quas orthodoxi cum Donatistis per triduum habuerunt, Augustino eas recensente, ex quibus manifestum est, Constantinum per delegatum ad id Cognitorem Marcellinum non tantum præscripsisse modum, qui in Collationibus hisce observari deberet, sed & post Collationes de causâ utrinque disceptatâ judicasse. Quid ad hæc Bellarminus? *Collationes has fuisse extraordinarias & necessitate quâdam conceptas, Augustino id agnoscente. Præter id, iudicium hoc Marcellini tale non fuisse, de quali hic agatur, cum Marcellinus Imperatoris Constantini nomine non ita judicaverit, ut Ejus Sententia totam obligaret Ecclesiam, sed tantum ut audaciam Donatistarum reprimeret, tanquam Cognitor censens, Donatistas ita à Catholicis confutatos, ut non habuerint, quod respondere possent; sicut à Laurentio, inter Augustinum & Pascentium, Ariana hæreses sectatorem arbitro factum sit, cujus sententia pro Augustino tantum valuerit ad confusionem Pascentii, qui victus pronuntiabatur &c.* Pro responso notandum, etiam si concedamus, fuisse actionem Catholicorum eum Donatistis cognitorem Marcellino extraordinariam, nihil tamen causæ Bellarmini accedere, nihil causæ Evangelicorum decedere, inde hoc etiam non attento nemo non videat, orthodoxos sine omni contradictione coram Judicibus Politicis disputasse, Eorumque iudicio se subjecisse, nullo planè modo id concessuros, si id solum ad Pontificem Romanum pertinere judicassent, neque etiam contra Donatistas ad hoc iudicium legitime provocaturos, si illud à Iudice incompetente profectum fuisset. Sit autem ita, non obligaverit Sententia Marcellini Cognitoris in se Ecclesiam, eâ tamen ratione obligavit, quam ipse Bellarminus non insufficientem agnovit, quâ Donatistas ita à Catholicis, Scripturarum videlicet testimoniis, observavit confutatos, ut respondendo quidquam ulterius opponere non potuerint. Hoc certe respectu omninò fuit obligatoria hæc Marcellini Sententia, si id attendamus, quod Ambrosium sub præcedenci capitis finem monuisse vidimus. Eadem quoque est ratio Decisionis arbitrariæ à Laurentio post disputationem Augustini cum Pascentio factæ, id quod ipse iterum Bellarminus agnovit, ut nullâ prolixitate ad id demonstrandum opus sit.

Vid. Epist.
August.
num. 178.

